


M. P. C. P.



Valentini Thebani Gon
v April 1618
Francofurti ad Viadrā



Συὴ Θεῶν
QUÆSTIONUM THEOLOGICARUM EX EPITOME FORMULÆ CONCORDIÆ
DECAS VI.

DE
LEGE ET EVANGELIO,
&
TERTIO USU LEGIS,

PRESIDE
POLYCARPOLYSERO
SS. Theol. Licentiato & Profefs.
Extraordinario,

RESPONDENTE
M. CHRISTIANO KOKENIO,
Nettelredâ-Schauvenburg.

*Disputabitur ad diem 5. Junij horis
pomeridianis.*

WITTEBERGÆ,
Excusa à JOH. GORMANO, Anno 1611.



Illustrissimo & Generosissimo Domino,
Dn. ERNESTO,
Comiti Schavvenburgi, Holfatiæ &
Sternebergh, Dn. in Ghemen &c.
Dn. suo clementissimo,

Juxtà & :

MAGNIFICIS, CONSULTISSI-
mis, Nobilissimis & Amplissimis Vi-
ris, U. J. Doctoribus, Dn. Cancellarijs,
Satrapis & consularijs ejusdem Illustriss.
& Generosiss. Dn. ERNESTI Comitis
Schavvenburg. & Holfatiæ &c. Pru-
dentissimis,

NEC NON

Reverendis, Clarissimis, Consultissimis & Excel-
lentissimis Viris, Dominis omnium facultatum Doctoribus,
Licentiatis, & Magistris, in inclyto Gymnasio Hagensi
Professoribus celeberrimis,

Dn. *εὐεργέταις*, Meccœnatibus, Promotoribus & Fauto-
ribus suis summis, summo honoris & amoris,
cultu honorandis.

Ἡεὶ ζήτηματα Theologica in
Solemne observantiæ τεκμήριον,

Tenue diligentiae σύμβολον,

Utile Promotionis αἴτιον,

Submissè inscribo, consecro,

M. CHRISTIANUS KOKENIUS, S. S. Th. Stud.



DISPUTATIO VI.

Ex Epitome Libri Concordia,

De

LEGE ET EVANGELIO:
ET TERTIO USU LEGIS.

QUÆSTIO I.

Quid sit Lex?

DIVUS Apostolus Johannes. c. 1, 17. sui Evangelij de uni-
versa doctrina divinitus revelata sic ait: Lex per Moſen data
eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.

II. Duo illius doctrinae capita conſtituit; Legem,
qua ministerio Moſis data; Gratiam vel Evangelium,
quod unigenitus DEI filius, qui eſt in ſinu Patris, vobis revelavit.

III. Quae duo capita ut conjunctim voluit ſemper extare DEVS in ſua
Eccleſia, ita hoc ipſo ordine proponi & explicari mandavit; initium ut ſem-
per fieret à fulmine Legis, quò gratia Mediatoris eò magis hominibus
dulceſceret.

IV. Hac ergo, & nos uſi methodo de Lege primum agemus. Ne verò am-
biguitas vocis quosdam offendar, & incautos erroribus illaqueet, haec ipſa
praelibanda.

V. Peculiare eſt, quò Paulo Lex denotat vim & efficaciam, moven-
tem & impellentem. Rom. 8, 2. Lex ſpiritus vitæ, liberavit me à lege pec-
cati & mortis, hoc eſt, gubernatio ſpiritualis, liberavit me à peccato re-
gnante: nam quia lex in hunc finem data, ut nos gubernet, ideo pro gu-
bernatione ponitur, Rom. 7, 23. Gal. 2, 19.

VI. Alias vox Legis vel generaliter uſurpatur in Scriptura ſacra, pro
doctrina divinitus patefacta. Pfalm. 1, 2: 19, 18: Eſa. 2, 3. Rom. 3, 27.

A 2

Vel

Vel specialiter: Et tum vel opponit: *Novo Testamento; vel Evangelio & gratia divina.*

VII. Quando Lex pro Veteri Testamento accipitur, vel Libros notat, in quibus doctrina sub Veteri Testamento descripta erat, aliquando quidem omnes: Joh. 10, 34. 1. Cor. 14, 21. aliquando Libros Moisis Luc. 24, 44. Rom. 3, 21: aliquando eos Moisis libros, qui Legem continent Luc. 10, 26. Vel formam Politiae & constitutionem Sacerdotij Israelitici, Hebr. 7, 12: 10, 1. Matth. 11, 13.

VIII. Opposita vero hac Vox Evangelio & gratia, significat doctrinam Decalogi ejusque rigorem. Rom. 10, 4. Galat. 5, 18. Rom. 6, 14, & 15. Qua in significatione hoc in loco accipitur.

IX. Ceterum haec ipsa lex divina duobus modis consideratur: vel per se, quatenus proponit promissiones vitae & comminationes mortis, Deut. 11, 26 & 30, 19: vel per accidens, quatenus refertur ad naturam peccato corruptam. Roman. 7, 10. Gal. 3, 21. Hoc modo considerata taliter eam deservimus.

X. Lex est doctrina à DEO mentibus hominum in creatione insita & saepius repetita, docens quales nos esse deceat, discernens recta & non recta, praecipiens integram obedientiam erga DEUM, & iram DEI ac poenas non praestantibus denuncians.

XI. Corollarium hinc extruit Formula Concordiae: Contra Antinomos probe notandum: Quaequid extat in sacris literis, quod peccata arguit, id revera ad Legis concionem pertinet: quippe quae sola monstrat peccatum. Cujus insignem usum in sequentibus monstrabimus.

Q U A E S T I O II. Quid sit Evangelium?

XII. Et haec vox non semper in una eademque significatione in sacra Scriptura usurpatur:

XIII. Aliquando enim vocabulum Evangelij, de tota Christi doctrina accipitur, quam ipse in ministerio suo, quemadmodum & ejus Apostoli professus est, in qua significatione vox illa usurpatur, Marc. 1. 1.
Initium

Initium Evangelij Christi & Marc. 16, 15. mandat Apostolis, ut Evangelium predicent universa creatura; cuius summam brevissimis comprehendit Luc. 24, 47. dicens: sic oportebat predicari in nomine Christi poenitentiam & Remissionem peccatorum.

XIV. Aliquando & quidem proprie significat latissimam nuntium & concionem plenam consolationis, quae conscientias dulcissima predicatione, de gratia & favore DEI, per Christum impetrato, contra terrores legis rursus erigit. Sic legitur Marc. 1, 15: Poenitentiam agite & credite Evangelio Roman. 1, 16. Evangelium est potentia DEI ad salutem omni credenti.

XV. Duplex ergo vocabuli acceptio, duplicem peperit definitionem: generalem unam, alteram specialem, & magis propriam.

XVI. Specialis talis esse potest: Evangelium est doctrina per filium DEI revelata, de misericordia DEI Patris, Remissione peccatorum & salute aeterna, per fidem in Christum Mediatorem consequenda, juxta illud Joh. 3, 16. c. 1, 17. &c.

XVII. Generalem tradit Christus Luc. 24, 46: quod sit doctrina de poenitentia & remissione peccatorum predicanda in nomine Christi.

XVIII. Hanc quidam speciali & proprio Evangelij significato adaptare voluerunt, inter quos fuit primus Johannes Agricola Islebius, qui vivente adhuc B. Luthero Anno Christi 1538. poenitentiam totam ex solo Evangelio docendam, legemq; ex Ecclesia relegandam statuit.

XIX. Cujus tamen furorem Antinomicum Lutherus statim repressit, sex hac de re habitis disputationibus, in quibus erroris convictus, Islebius eum agnovit, & publice palinodiam cecinit.

XX. Sed ad vomitum, ut canis, post B. Lutheri obitum redijt, & errores pristinos spargere, Legem contumeliosè proscribere, & suavem Evangelij concionem in absynthium convertere non erubuit.

XXI. Hujus postea circa Annum Christi 1570, patrocinium susceperunt Crypto Calvinistae Wittebergenles, contra Flacium & alios,

Philippeam definitionem defendentes, eamq; Catechesi sua inserentes. Nonnihil tamen inflectere sermonem didicerunt: Legi enim suum etiam locum, licet ignobiliorem, reliquerunt, in excitanda contritione aliquorum peccatorum, quæ cum ipsa pugnant: incredulitatem autem, ignorantiam filij & alia peccata, quippe Evangelio contraria, ab ea non argui, sed ab Evangelio. Horum antesignanus fuit D. Christophorus Pezelius, ut in objectionibus ejus videre licet.

XXII. Verum nos, ut generali vocis Evangelij significationi congruere, hanc definitionem cum Christo & Apostolis pie statuimus. (Hinc aliquoties repetita extat in Confessione Augustana & ejus Apologia: neq; in ipso certamine Antinomico Lutherus eam simpliciter rejecit & damnavit:) ita specialiter ei competere ut asseramus, Scriptura prohibemur, nisi propriam Evangelij doctrinam obscurare & obruere vellemus.

XXIII. Quare hunc illis opponimus Syllogismum: Quicquid i. Scripturæ adverteatur. 2. Legem & Evangelium confundit. 3. Christum cum Pontificijs Legis ministrum cõstituit. 4. Consolationem pijs adimit. 5. Libris contradicit Symbolicis & B. Luthero. 6. Antinomis quoq; & Romanensibus favet, illud rejiciendum & damnandum. At opinio ista, quod Evangelium propriè sit concio pœnitentiæ, arguens peccata &c. revera talis est.

XXIV. 1. Scripturæ adverteatur: Verbum enim vitæ, Philip. 2, 16. Non est verbum mortis: Verbum gratiæ, Act. 14, 3. non est verbum iræ: Evangelium pacis Ephes. 6, 1. non est vox terroris: hæc ergo Evangelij encomia contritionem omnem remonent.

XXV. 2. Legem & Evangelium confundit; id quod quæstio quinta, quæ agit de discrimine Legis & Evangelij confirmat.

XXVI. 3. Christum Legis ministrum constituit, quod negat Paulus Gal. 2, 27. Fingit enim proprium Christi officium esse accusare, minari, arguere, terrere, occidere, quæ Moysi competunt, non gratiæ Doctore Christo, ut videre licet Esa. 28, 21.

XXVII. 4. Consolationem pijs adimit. Scriptura Christum advocatum nostrum asserit. 1. Joh. 2, 1: Hi novi Antinomi Christum accusatorem constituunt, qui in foro Evangelij sævius ob incredulitatem nos accuset, quàm ipsa Lex: quæ ergo consolatio remanebit?

XXVIII. 5. Contradicat Libris Symbolicis: Apologiæ Confess. p. 67: Evangelium est propriè promissio Remissionis peccatorum. &

p. 110. Certissimum est in predicatione poenitentiae, non sufficere predicationem Legis, quae tantum terret, & condemnat conscientias, sed necesse est accedere Evangelium, quod peccata gratis remittantur propter Christum &c. & Tit. de poenitentia p. 161: Haec est propria vox Evangelij, quod fide consequamur Remissionem peccatorum.

XXIX. Quin & ipsi Luthero, in Articulis Scmalcald. Tit de Poenitentia. Hoc officium Legis retinetur in Novo Testamento & in eo exercetur, ut Paulus Rom. 1. facit inquit: ira DEI de caelo revelatur super omnes homines &c. Huic officio Novum Testamentum statim adjungit consolationem & promissionem gratiae Evangelij, cui credendum est, &c.

XXX. 6. Antinomis favet; patet id ex argumentis, quibus utuntur, quae Antinomica sunt ab illa mutuata: Et Papistarum picturam approbat, quae Christum Iridi insistentem & gladium ac virgam miseris peccatoribus monstrantem, pinxerunt. Quam bene etiam illis conveniat cum Bellarmino, videatur Tom. 3. Lib. 4. de Iustificat. c. 2, 3. & seq.

XXXI. Merito ergo falsum hoc, perniciosum & Antinomicum dogma rejicimus & reprobamus.

Q U A E S T I O II.

An poenitentia alia Legalis, alia Evangelica?

XXXII. Et vox, Poenitentiae, equivoca est. Interdum pro tota conversione hominis ad DEVM accipitur, quae duabus constat partibus. Contritione & fide. Luc. 13, 3. Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Luc. 15, 7. Act. 11, 18.

XXXIII. Interdum accipitur pro prima conversionis parte, eaque sola, pro contritione, Marc. 1, 15. Poenitentiam agite & credite Evangelio: Luc. 24, 47; si oportebat Christum pati &c. & praedicari in nomine ejus poenitentiam & Remissionem peccatorum. Marc. 1, 4. Act. 5, 31. cap. 20, 21.

XXXIV. Quae significatio tum rectissime deprehenditur, quando distincte ponuntur, Poenitentia & fides: vel poenitentia & Remissio peccatorum.

XXXV. Cum vero poenitentia, quae sola contritione constat, exitiosa sit; si vero fides accedat, fiat salutaris: Recentiores Antinomi duplicem exinde poenitentiam extruxerunt; Exitiosam, quam Legalem dixerunt,

seruant, quia lex predicatio contritionis: & Salutare, quam Evange-
licam nominarunt, quod contritioni fides in Christum, qui tantum in Eu-
angelio revelatur, jungatur & salutaris efficiatur.

XXXVI. Cujus distinctionis fundamentum monstrari autumant, quan-
do scriptura vocem μετανοίας nusquam pro illo dolore accipit, qui à lege
venit, eaq; sola; sed distinctis utitur vocibus: μεταμελείας καὶ μετανοί-
ας: illam de doloribus damnatorum, Iude, Caini, Matth. 27. 3: hanc de
contritione salutari accipiens & usurpans.

XXXVII. Verum quis non videt distinctionem illam pœnitentiæ, ex ob-
jectis emergere non ex ipsa contritione, Est una eademq; pœniten-
tiaratione speciei, sed eadem vel perficitur in fidelibus, qui non tantum
agnoscunt peccatum, verum & fide Remissionem accipiunt, qua saluta-
rem jam facit pœnitentiã: vel imperfecta manet in incredulis, quæ
peccati cognitionem habent, fide verò destituuntur, qua cum forma sit pœni-
tentiæ, eaq; careant, unicam saltem pœnitentiæ partem minus principa-
lem habent, qua minus propriè pœnitentiã dicitur.

XXXVIII. Concedimus sanè vocem μετανοίας nusquam impijs tri-
bui, sed semper in bonam partem accipi, inde tamen nondum sequitur,
quod illi volunt: Vocem verò μεταμελείας semper impijs tribui, haud
concedimus.

XXXIX. Unicum illi producunt locum: cui nos duo loca vicissim oppo-
nimus; Matth. 21, 29; tandem μεταμελήθεισ abijt: & v. 32. vos autem
videntes & μεταμελήθητε postea, ut crederetis ei; qua loca de salutari pœ-
nitentiã agere quivis videt.

XL. Universalis ergò non est illa distinctio: quam etiam septuaginta
interpretes ignorarunt, qui μεταμελείας vocem ipsi DEO attribue-
runt Ose. 11, 9: conturbata est pœnitudo mea: cuius rei vestigia etiam
in Novo Testamento inveniuntur: Hebr. 7, 21: Iuravit Dominus, καὶ ὁ
μεταμελήσεται. In fumum ergo abijt Antinomorum distinctio &
ratio &c.

QUÆSTIO IV.

Cur Christus gratiæ & Evangelij Doctor, Le-
gem tam graviter urserit, & sæpius
explicarit?

41. Bellar-

XL I. Bellarminus Jesuita mitratus l. 4. de Justificat. c. 5. Christum non tantum Redemptorem, sed Legislatorem esse asserit, varijs fallacijs suam probans sententiam.

XL II. Non meliores sunt Antinomi recentiores, qui Christum fulminantem in Evangelio nobis introducunt, & redarguentem maxima peccata, incredulitatem & alia; precepta & leges (quando suo fungitur officio proprio, ad quod missus erat à Patre) sonantem & verè legalia exequentem officia.

XL III. Nos è Scriptura aliud edocti Christum Dominum legis agnoscimus, Legislatorem verò qualis Moises erat, esse negamus. Lex enim per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Ioh. 1, 17. Gal. 3, 19.

XL IV. Cur ergo Christus eam tantopere urget, explicat, corrigit, & à corruptelis Phariseorum vindicat, Matth. 5. cum primis & alibi?

XL V. Causam non unam damus. I. Ut Legem explicaret. Quilibet enim suorum verborum optimus est interpret: cumq; primarius & summus Legis promulgator fuerit, quia DEVS: optimè eandem explicare potuit, idq; Matth. 5. fecit. Moysis enim facies velata fuit usq; ad Christum, qui velamen ei detraxit. 2. Cor. 3, 14.

XL VI. II. Ut homines ad se adduceret. Lex enim pædagogia est ad Christum, Gal. 3, 24: Ad Legem ergò homines tumidos & propriae iustitiæ opinione inflatos remisit, ut videntes, se illam implere, & ita per eam salvari non posse, ipsum accedant, & fiduciam de merito suorum operum abjiciant. Fecit hæc Luc. 10, 26, c. 18, 18. & pluribus in locis; ubi verum salvandi modum subjungit, nimirum ut sequantur Christum.

XL VII. III. Ut concione Legis finem assequerentur. Absq; Christi enim explicatione si esset, nuda Lex hominibus proposita vel cōfidentiam vel desperationem excitaret: illam in Pharisaicis & hypocriticis ingenijs; hanc in meticulosis & animo dejectis. Christus ergo explicatione sua monet, peccata quidem ita agnoscenda, ut ad pœnitentiam deveniamus, non verò, ut in desperationem incidamus: Econtra verò, bona opera renatis quidem esse facienda, fiduciam autem in ea collocandam non esse.

XL VIII. Patet ex dictis, Christum in Novo Testamento circa Legem moralem versari, non ut promulgatorem, sed ut illustratorem, explicatorem, finis proprii monstratorem. Sed ad alia.

B

QUÆ.

QUÆSTIO V.

Quænam sit differentia Legis & Evangelij ?

XLIX. Etsi in usu maxime conjuncta esse DEVS voluit Legem & Evangelium; id quod etiam concio post lapsum in Paradiso habita testatur: tamen fideliter cavendum, ne diversa hæ doctrinae commisceantur, & propterea illorum officia confundantur.

L. Varij varias sanè proferunt Legis & Evangelij differentias; Bellarminus lib. 4. de Iustific. c. 3. octo recenset differentias: scholastici tres, quorum sententias refutare, nostri non est instituti. Nos differre inter se dicimus.

LI. I. Causa efficiente secundaria: Lex per Mosen data est: gratia & veritas, qua Evangelium per Iesum Christum facta est, Ioh. 1, 17. Legi enim promulganda Mediator est Moses. 3, 19. Evangelij autem Christus. 1. Tim. 2, 5.

LII. II. Materia. Lex enim præcepta habet de faciendo Levit. 18, 5: Evangelium verò conciones de fide in Christum Iesum, Joh. 3, 16. Rom. 3, 21. 4, 5. 10, 5.

LIII. III. Forma promissionum. Lex promittit salutem sub conditione totius Legis implenda per obsequium proprium, Levit. 18, 5: Evangelium sine ulla conditione laboris aut obsequij proprij, spondet vitam æternam credentibus, idq; ob solum laborum alienum, opus videlicet obedientie Christi. Rom. 3, 21. & seq.

LIV. IV. Fine. Finis enim Legis est monstrare suis præceptis, quæ & qualia opera sint facienda vel sugienda Marc. 10, 19: Evangelij verò (secundarius tamen hic est; primarius verò, quod sit potentia ad salutem omni credenti Rom. 1, 16.) docere, quomodo sint facienda, videlicet per fidem à Spiritu Sancto accensam, quæ agit & operatur per caritatem, Gal. 5, 6.

LV. V. Effectibus. Lex enim ostendit peccata, minatur maledictionem omnibus, qui non permanent in cunctis, quæ scripta sunt in volumine Legi Deut. 27, 26. est litera occidens & damnationem denuncians, 2. Corinth. 3, 6. & hoc fulmine terret & prosternit mortalium conscientias: Evangelium verò voce Legis exterritos, consolatur, monstrat Christum Salvatorem & Redemptorem, qui Legem pro illis implevit. Matth. 5, 16. Rō. 4, 15.

LVI.

LVI. VI. Objectis. *Legis enim comminationes ad impenitentes, & non ad conversos pertinent, ijs etiam est proponenda, 1. Tim. 1, 9. Lex posita est iniustis, impijs & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, & id quod Christus exemplo demonstrat, Matth. 22, 23. dum superbo Legisperito Legem proponit: E contra vero Evangelij promissiones pertinent ad pauperes spiritu Matth. 11, 5: pauperes Evangelizantur; & ad contritos corde Esa. 61, 1. Exemplum Christi habemus Luc. 7, 37. in muliere peccatrice, ad quam Evangelij promissiones pertinere Christus ostendit. Observavit hoc discrimen Nathan Prophetas, 2. Sam. 12, 1; hic missus ad Davidem impenitentem, Legem urget, virum mortis nominat: quam primum autem David agnoscit peccatum, dolet & clamat: Peccavi Domine, consolatione Evangelij ipsum erigit: Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.*

LVII. VII. Adjunctis. 1. *Noticia: Lex enim hominum mentibus in ipsa creatione impressa, & aliquo modo est naturaliter nota; Rom. 2, 15. Evangelium vero nullo modo rationis acumine percipitur, sed est mysterium a seculis absconditum, Rom. 16, 25.* 2. *Modo promulgationis: Lex enim in monte Sinai inter tonitrua & fulgura lata est, qua stupenda, ac terribilia fuerunt miracula, Exod. 20: Evangelium vero per filium DEI, carne nostra indutum, revelatum & gratiosius ac salutiferis miraculis est consignatum, Joh. 1, 18. Luc. 9, 56.*

QUÆSTIO VI.

Qui sint usus Legis divinæ?

LIIIX. *Hactenus conjunctim egimus de Lege & Evangelio: jam in specie aliquid de Lege nobis dicendum erit, & quidem ejus usibus: in quibus ritè constituendis aliqui in defectu, multi etiam in excessu peccarunt.*

LIX. *Fuerunt, qui dicerent, Legem planè non esse docendam in Ecclesia, sed ex templo in curiam relegendam, hinc dicti etiam Antinomi sunt, hi unicum, quem nos politicum dicimus, usum quadantenus admiserunt.*

LX. *Alij cognitionem omnium peccatorum ex lege haberi posse negarunt, quorum Coryphæus Islebius fuit: Alij legem normam bonorum operum esse, rena:is observandam non concedendum existimarunt; qui omnes spirituales legis usus e medio tollere studuerunt.*

LXI. Non meliores sunt Pontificij, qui ad imitationem suorum patrum Pharisaeorum, novum usum, vel abusum legi affinxerunt, quod videlicet per Legis obedientiam, homo iustificetur coram DEO.

LXII. De ijs qui κατ' ἐλλειψιν peccarunt, partim dictum haecenus, partim adhuc dicitur: De ὑπερβολῇ autem Pontificiorum notandum, quod Paulus tradit: Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt Gal. 3, 10, quia non est data lex, qua posset vivificare Gal. 3, 10. sed operatur iram Rom. 4, 15 & est ministerium mortis, 2. Cor. 3, 7. Imò si per Legem iustitia, frustra Christus mortuus est. Gal. 2, 21.

LXIII. Nos ut hos scopulos errorum evitemus, duplicem legis usum cum Scriptura constituimus. Politicum & Ecclesiasticum.

LXIV. Politicus usus in externa disciplina conservanda occupatus est, ut ea feri & intractabiles homines, quasi repagulis quibusdam coerceantur, ne in manifesta scelera prorumpendo, societatem, honestatem & tranquillitatem humanae vitae turbent. Respicit autem omnes non renatos, id quod Paulus testatur 1. Tim. 1, 9: lex iniustis posita est.

LXV. Ecclesiasticus usus duplex est; ελεγκτικός, & δογματικός vel διδασκτικός.

LXVI. Elencticus Legis usus est, quo homines ad agnitionem suorum peccatorum adducuntur: audientes enim, legem perfectam exigere obedientiam, & videntes, quàm longissimè se ab ea abesse, ad veram peccati & irae DEI agnitionem perveniunt. Rom. 3, 20. Per legem agnitio peccati: Rom. 4, 15. Lex iram operatur. Rom. 7, 7. Concupiscentiam non novissem, nisi lex dixisset, non concupisces. Gal. 3, 19. Lex propter transgressiones posita est. Versatur autem hoc in usu lex, circa homines iustificandos, ut natura depravatione agnita, medicinam quaerant. Est enim lex paedagogus ad Christum Gal. 3, 24. Unde etiam Paedagogicus hic usus dicitur.

LXVII. Dogmaticus legis usus est, quod normam & regulam subministrat, secundum quam renati & iustificati totam vitam suam formare possunt & debent Ezech. 20, 19. in praeceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite, Psal. 119, 105. Gal. 3, 13. & 14. Tripliciter autem hoc suo munere lex fungitur. 1. docendo, quae opera DEO placeant. 2. Arguendo imperfectionem operum etiam renatorum. 3. Excitando carnem nostram ad studium bonorum operum. Hutterus in F. C. p. 518.

QUAESTIO VII.

An

An externæ disciplinæ meritum aliquod, vel
etiam salutis acquisitio tribui possit?

LXII. De Politico usu ut dicamus primo loco, ἐπεὶ ἡ ἀρετὴ τὸν
Pontificiorum, tum Calvinianorum, notanda & refutanda venit.

LXIX. Pontificij enim hunc usum Politicum traxerunt ad stabilien-
dum meritum suum congrui, cujus absurditatem videns Concilium
Tridentinum maluit appellare præparaciones vel dispositiones ad
gratiam.

LXX. Sic enim Sess. 6. Can. 7. legimus: Si quis dixerit, quando ve-
hementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare,
Anathema sit.

LXXI. Quid verò sibi verbis his obscurioribus velint, Andradius a-
pertere explicat declarans illud Clementis, quod Philosophia sit pedagogia in
Christum; hæc enim sunt ejus verba: Philosophia meditatio, quia mentem
DEI cognitione illustrat, pietate informat, virtutumq; institutis & amore
exornat, ad Evangelium quodammodo viam munit. Animus enim, qui ex
Philosophia verè DEI cognitione, virtutumq; luminibus est illustratus, atq;
in divinarum rerum contemplatione, satis versatus, facilius quidem ad re-
liqua fidei mysteria adduceretur. Chemnit. Part. 1. Ex. Conc. Tr. p.
199. Similia vel etiam crassiora, vide p. 282. & 283.

LXXII. Consentit hæc in parte Keckermannus, qui in System.
Theo. lib. 1. asserit, Deum per Logicam & Metaphysicam accendere
voluisse lucem sui spiritus in hominibus.

LXXIII. Impudentiores sunt quidam Calvinianorum, cum primis
verò Zvinglius, qui in novissimo suo libro Galliarum Regi nuncupato
de Hercule, Theseo, Aristide, Socrate, Numa Pompilio, Catonibus, Scipi-
onibus & aliis Ethnicis scribere non est veritus, quod noticia DEI naturali
& virtutum studio salvati sint.

LXXIV. Placuit hæc sententia ipsi Erasmo, & Puccio, qui Anno
1592. Libellum emisit, in quo statuit; in singulis hominibus esse substanti-
am salvificæ fidei, ideo omnes & singulos homines esse habendos pro fide-
libus, antequam sua malitia & dissidentia DEO & servis ejus fidem derogent.

LXXV. Verum, licet naturali DEI noticia qualis post lapsum reliqua
est, & externæ honestæ disciplinæ multum tribuamus: à salutis tamen æ-
ternæ consequenda ratione planè proscribimus.

LXXVI. Est enim 1. Imperfecta, constans aliqua essentia divina cognitione, quæ ex libro natura hausta fuit Roman. 1, 19: voluntatem verò Dei ignorarunt, ideòq; nec ut DEVM coluerunt. Roman. 1, 21. im-primis quomodo nos æternum salvare velit, quod nemo principum hujus seculi cognovit, 1. Cor. 2, 8. est enim mysterium, temporibus æternis tacitum, nunc patet factum per Scripturas Rom. 16, 26.

LXXVII. 2. Valdè obscura, testatur id Paulus de gentibus, Eph. 4, 17. quod ambularint in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis illorum. Et Christus qui est Lux mundi, & salutis autor, in tenebris lucere dicitur, sed tenebræ tanta sunt, ut eum non comprehendant. Joh. 1, 5.

LXXVIII. 3. Adversaria fidei salvifica: sapientia enim carnis inimicitia est adversus Deum Roman. 8, 7. ideòq; omnis intellectus captivandus in obsequium Christi, 2. Cor. 10, 5. Cujus rei exemplum videmus in Philosophis Atheniensibus. Act. 17, 18.

LXXIX. Et probe notandum, quod Augustinus Virtutes gentilium, appellare non dubitaverit peccata; non quidem per se, sed secundum quid, quatenus non sunt eo animo, modo & fine, quo à Deo prescribuntur.

LXXX. Quis ergo modus & ratio salutem consequendi? Nemo venit ad Patrem, nisi per Christum Joh. 14, 6. in quo unico est salus nostra reposita Act. 4, 12. Hac enim est vita æterna ut agnoscant homines verum DEVM, & quem ille misit, Jesum Christum Iohan. 17, 3. In hunc Filium DEI qui credit, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum Joh. 3, 36.

Q U Æ S T I O I I X.

An sola Lex omnia arguat peccata?

LXXXI. Impugnarunt hunc alterum Legis usum quidam Antinomorum & quasdam hac in re partes Evangelio concedendas esse sic probare conati sunt. Quodcumq; arguit incredulitatem matrem peccatorum, id arguit etiam peccata ex incredulitate orta. Sed Evangelium arguit incredulitatem. E. &c.

LXXXII. Nam, 1. Contrariorum eadem est doctrina. Fides est Evangelij. E. & incredulitas. 2. Incredulitas impingit in doctrinam Evangelij. E. etiam ab Evangelio arguitur. 83. Verum

LXXXI. Verum & aperta Scriptura dicta, & consequentia & Scripturis deducta reclamant.

LXXXIV. D. Paulus 2. Cor. 3, 7. Legem definit, quod sit ministerium, quod occidit & mortem denunciat: Evangelium verè, quod sit ministerium spiritus qui vivificat. Roman. 1, 16. Evangelium definit, quod sit potentia ad salutem omni credenti. Legem verò, Roman. 3, 20, quod ex ea sit agnitio peccati. Christus Iohan, 5, 45, à se tanquam Evangelij Doctore, accusationem peccati removet, & Moysi Legis ministro tribuit.

LXXXV. Consequencias ex Scripturis has rectimus. 1. Doctrina leta & consolatoria peccata non arguit. Evangelium est doctrina leta & consolatoria, annuncians contritis corde liberationem à potestate Sathana ac mortis & ab ira DEI Esa, 61, 1. E. 2. Duo immediate contrarij effectus non possunt eidem doctrina assignari: Accusare peccatum & damnare; & à peccatis absolvere, sunt duo immediate contraria. E.

LXXXVI. Rationes adversariorum non moramur. 1. Quid enim Lege opus, si incredulitas ex Evangelio accusanda & damnanda, neq; sola incredulitas, sed ea peccata, quae ex illa oriuntur, hoc est, in universum omnia, quia mater omnium peccatorum?

LXXXVII. 2. Aliud est ostendere, quid sit incredulitas, aliud arguere incredulitatem: Evangelium enim docendo fidem in Christum è contrario ostendit hanc speciem incredulitatis: attamen non arguit, sed ad legem remittit: Sicut etiam viceversa lex requirit fiduciam erga DEVM, & non conferens, suos auditores remittit ad Evangelium. Vide Paulum Gal. 3, 22. Rom. 11, 32.

LXXXVIII. 3. Ab eo quod est per accidens, ad id quod est per se, non valet consequentia. Evangelium per se consolatur; ratione autem heseos, per accidens declarat iram DEI, quam Lex minatur, propter abjectionem gratiae & Christi meritum.

QUAESTIO IX.

An renatis lex inculcanda?

LXXXIX. De tertio etiam Legi usu, satis atrox inter Augustanae Confessionis Theologos certamen motum.

XC. Putarunt enim alij, non opus esse, ut renati novam obedientiam, vel opera, in quibus ambulare oportet ex lege discant: quando quidem per filium DEI libertati restituti, & jam facti templa Spiritus sancti, & propterea liberi, haud secus ac sol absq; alieno impulsu sponte cursum suum naturalem conficit: ita & renati sua sponte instinctu & impulsu Spiritus Sancti ea agunt, quae DEVS ab ipsis requirat.

XC I. Etsi vero in Christum credentes & sincere ad DEVM conversi, per Christum à maledictione legis Gal. 3, 13. ejusq; coactione Gal. 5. 18. liberati sunt; non tamen propterea absq; lege sunt, hoc est, lex quoad doctrinam & obedientiam illos manet.

XC II. Probat id nostra Concordia quatuor gravissimis rationibus. I. A fine redemptionis petita est. Filius enim DEI eam ob causam eos redemit, ut legem DEI diu noctuq; meditentur, atq; in ejus observatione sese assidue exerceant, Ps. 1, 2. Zacharias Luc. 1, 75. testatur Christum nos redemisse, ut seruiamus illi in sanctitate & justitia: Lex autem est regula illa sanctitatis & justitiae.

XC III. 2. Ab exemplo primorum parentum. Etenim ne primi quidem nostri parentes, etiam antelapsum proorsus, sine lege vixerunt: quae certe cordibus illorum tum inscripta erat: quia Dominus eos ad imaginem suam creaverat. Gen. 2. & 3.

XC IV. 3. A Scripturarum autoritate, quae ad Legem, non tantum non renatos, sed etiam renatos astringit. Ezech. 20, 18: In praeceptis Patrum nolite incedere, sed in praeceptis meis ambulate. Deut. 12, 8, & 32. Psal. 12: & 119, 105: Ios. 1, 8. Matth. 15, 9. Rom. 12, 12.

XC V. 4. Ab Imperfectione renovationis nostrae. Regeneratio enim & renovatio in hac vita, non est omnibus numeris absoluta, sed saltem inchoata. Et credentes spiritu mentis suae perpetuo luctantur cum carne, Gal. 5, 17. Roman. 7, 22. Lex ergo opus habent renati, ne Vetus Adam pro suo ingenio agat, & circa voluntatem DEI aberret, sed ejus admonitionibus, minis & plagis coerceatur, ut spiritui obsequatur. seq; ipsi captivum tradat.

Q U A E S T I O X.

An alia sint opera Legis, alia Spiritus?

XC VI. Legem, & Evangelium versari circa novam renatorum obedientiam jam vidimus: Legem quidem, quatenus inculcat, secundum hanc

*Hanc suam normam esse ambulandum in novitate vitæ, & remissiores turgent
& excitat: Evangelium verè quatenus per illud Spiritus Sanctus datur
& accipitur, Galat. 3, 2. qui vires donat, novam inchoandi & præstandi
obedientiam.*

*XC.VII. Licet ergò ad opera novæ obedientiæ, utramq; concurrat; non
tamen à Lege, sed ab Evangelio sunt denominanda, sive non O-
pera Legis sed Spiritus dicenda.*

*XC.IX. Quod discrimen non consistit in operibus respectu normæ,
secundum quam fiunt, quia omnia opera, quæ DEO placere debent, secun-
dum legem, tanquam immutabilem DEI voluntatem fieri debent: sed
respectu hominum qui secundum Legem vivunt, quorum alij non
renati, alij renati:*

*XC.IX. Homines non renati: utcumq; secundum legem vivunt &
operantur, partim vi mandati, partim formidine pœnæ, partim spe præ-
mij: quæ opera, quia à lege quasi vi extorquentur, ipse sub Lege, tan-
quam servus existens. Opera Legis facere, propriè Paulo dicitur.*

*C. Homines verò renati, à Spiritu DEI aguntur, cujus impulsu libe-
rè & promptè secundum Dei voluntatem in Lege revelatam agunt: quæ
opera, non Legis opera, sed fructus Spiritus propriè Paulo dicuntur,
Gal. 5, 22.*

*CI. Quæ tamen ita accipienda non sunt, quasi homines renati, quia
Spiritu Dei ducuntur, sine lege sint, quia sub lege non sunt, Gal. 5, 18:
sed sunt in lege secundum quem vivunt, non ex coactione, sed libero &
spontaneo spiritu.*

*CII. Trahit enim Spiritus sanctus renatos ad bona opera, non arcana
quadam inspiratione, sed per expressum Dei verbum, hoc sit & maneat
lucerna pedum nostrorum, & ambulabimus in via pacis.*



G

AD



A D

Doctiss. & Clariss.

Dn. M. CHRISTIANUM
KOKENIUM, fratrem suum dilectum,
Reverendus & Doctiss. Vir, Dn. JOHAN-
NES KOKENIUS, Pastor Ecclesiae Val-
bruchensis in provinciâ Pollâ princi-
patus Brunsvicensis digniss.

*Haec poësis ad
imitationem
Odes 38 lib. 2.
Carm. Qv.
Horatij
Flaccii.*



*Audo solemnem proboq; appa-
ratum:*

Per placet nexa philyra coorna:

Perge sectari tua qui decores

Tempora lauro.

Ocio segni nihil allabores

Sedulus cura, bona te Magistrum

Condecet virtus, tituloq; vita

digna celebri.

Ad

Ad eundem.

Ecce semel nactus Kokenius auget hono-
res,

Egregia monstrans nobile mentis opus.
Artis amor crescit, quantum ipsa Scientia
crescit,

Doctus ubi juncta Pallade Phœbus adest.
Non studiis unquam mens exsaturata qui-
escit,

Viribus acceptum nescit habere modum.
Maximus unde labor studiumq; elucet ho-
nestum.

Nulla diu virtus indubitata latet.
Nulla diu latitat, levibus petit aëra pennis,
Et studet autorem, clarificare suum.

Johannes Passavius
Brunopolita,
L. L. Studiosus.

HARD.

ΠΑΡΟΔΙΑ,

Ad imitationem 26. l. I. Carm. Q. F.

Horatij

Quâ seipsum à mœstitiâ avocatur.

Musis amicus, tristitiam & metus
Tradam protervis littus in Albidos
Portare ventis: quis Sacerdos
In Patriis habeatur oris,
Quò me Deus tandem feret unice
Securus. O qui cultibus Artium,
Gaudes, salubres adde cursus,
Adde meis studiis salutem.
Dulcis redemptor, nil sine te mei
Profunt labores, munere me novo,
Me Spiritu sacrare sancto,
Teq; tuumq; decet parentem.

M. Christianus Kokenius,
Nettelredâ-Saxo.

F I N I S.

822 A 33

ULB Halle 3
001 586 408



Sb

ber C

EO-Ry
03.10.1
DM





